

APOLLINARIS, LXXXIII (2010)

Apollinaris renovandi, ob multa, quæ bis quattuor his decennis –tam enim longo temporis spatio a *Commentario* hoc primum in lucem edito separamur–, immutata sunt, haud aliter ac nonnullis ceterarum disciplinarum diariis factum est, hic annus MMX principium attulit, eo maxime voto, ut perinde rerum adiunctis recentioribus ac lectoribus exspectationibus in dies magis idonee respondeat. Quam multæ rerum mutationes factæ sunt post annum MCMXXVIII, cum primum Philippus Maroto, Franciscus Roberti, Sosius D’Angelo “*Commentarium iuridicum-canonicum*” condiderunt, cui *Apollinaris* nomen inditum est ex ædibus eodem titulo nuncupatis, ubi Seminarium Romanum prius floruit (nunc vero Pontificia Universitas S. Crucis sita est). Ex illo enim tempore ad Canonum studium provehendum novæ sunt Facultates erectæ, quarum dignitas et decus non sola in Urbe, sed toto fere orbe terrarum magni habetur propter Commentarios nonnullos, quibus ex numero tum olim discipulorum tum eorum, qui Legibus canonicis ex professo operam dant, optimus quisque in Iuris et Ecclesiæ notitiam augendam atque amplificandam incumbit.

His autem decennis Leges Ecclesiæ ipsæ cœptæ sunt viis renovatis pertractari, studio pervestigari, discipulis tradi, rebus ipsis applicari. Concilium enim Vaticanum II ac textus Codicis pianibenedictini post illud recogniti sunt, pro ratione Scientiarum, simillima miliariis in perpetuum ratis, quorum altissima fundamenta negligere doctrinæ ipsi minime licet.

Inde a primordiis Commentarii, Ius canonicum, in *Instituto* studio traditum et excussum, cum ceteris Iuribus per partes Occidentis vigentibus in unum coaluit (quod *utrumque Ius* vocant): exinde a romano civilique Iure usque ad Ius gentium et comparatum. Neque illis ‘coniungitur’ mere, sed potius ‘collocatur’ velut nervis inhærens *Corporis* vivacis ac multiformis, quod e pluribus unum constat: Corpus dicimus Iuris ipsius. Quod, ut antea, ita nunc quoque non desiit propositis accommodatum videri eorum, qui, operam dantes studio necessitudinis, qua Ecclesia in iuridice agendo integræ humani Iuris Legumque compagini quodammodo

APOLLINARIS, LXXXIII (2010)

adiungitur, *Ius publicum ecclesiasticum* sive ceteris Iuribus comparantes olim pervestigarunt, sive, ut nostra memoria plerumque fit, hoc persuasissimum habentes, disquirunt, non ita magnam ‘distantiam’ inter Ius canonicum atque illud *vivere secundum Ius* interesse, ut huic illud, quamvis suo genere ‘distinctum’, potius coniungi quam ab ipso seiungi videatur.

Immotus permansit finis, quem Commentario conditores præstitutum voluerunt: «*de Iuris Scientia amice conversari, de cetero nihil solliciti, nisi ut valeamus pleniorum Ecclesiæ Legum notitiam acquirere*». In Iuris enim notitia, ac potissimum Iuris canonici, Commentarii velut cardo idcirco vertitur, ut in Ecclesiæ Legibus –nec Latinorum Orientaliumque tantum, verum etiam proprias Leges dicimus ac particulares–, quo sunt genere crebro ac multiplici, pondus ipsum ac dignitas teneatur pro communione ecclesiali renovanda, ut homines qui communi fide consociantur, sua ipsorum vita non modo angustum illum *textum Legis*, sed multo magis et ante omnia *Ius* ipsum prudenter et considerate experiri possint.

Item una eademque manet sententia, in quam *Commentarius Instituti Utriusque Iuris* respondet, quippe cui illud sit propositum, vitam Ecclesiæ magis magisque specie Iuris investigare, id persuasum habendo, quod *Scientia Iuris* non *scholæ textus* finibus regitur et continetur, cum semper rationem habere debeat illius, quæ multo amplius patet, *Scientiæ vitæ* ut hominum ita discipulorum Domini fidelium. Ad id ipsum oportet ars et ratio Iuris in omnibus servetur, ne promiscue et incerte Iuris peritus et pastor inter se misceantur utque, suum cuique locum tribuendo, multiplices ecclesialis vitæ partes et peculiari investigatione expendantur et concinne altera ad alteram accommodentur.

Nihilo minus, his octoginta annis, nonnulla in Commentario *Apollinaris*, qui inscribitur, immutata sunt, ut puta, intervalla editionum vel copia rerum; ‘sectiones’ quædam aut adiectæ aut omissæ sunt prout cuiusque indoles ac ratio plus minusve suis ‘temporibus’ congruebat; nonnulla vero aut iam redierunt aut mox sunt reditura, quo magis in dies Commentarius “hodiernis par” fiat.

Propterea, cum pro facilitate nuntios his temporibus communicandi et in publicum edendi iam supervacaneum sit Acta Pontificum et scripta ‘apostolica’ copiosissime vulgare, tamen non nihil prodesse videtur, si Curie Romanæ Acta ‘Iuris peculiaria’ edantur, quæ non sine difficultate solent alibi in scriptis de rebus vel ecclesiasticis vel iuridicis reperiri.

APOLLINARIS, LXXXIII (2010)

In *Commentarium* –cum in votis sit, ut vestigia premantur doctorum, qui in *Instituto* academico docent–, peropportune eiusmodi scripta doctrinæ excipientur, quæ ampliore velut prospectu res agitent generatim atque universe ad Ius vel per se consideratum vel præprimis canonicum pertinentes, ut tamen intento semper animo perpendatur, quid vel e Iurium comparatione, vel e disceptatione inter disciplinas diversas instituta, vel e rationis viæque consideratione provenire possit ea potissimum Lege, ut magis elementis *institutione fundantibus* quam meris rebus *iustificatoriis in facto* operam dent auctores, ‘Fontium’ denique tam veterum quam recentiorum exploratione accuratissima numquam omissa. Studium est enim habendum diligentissimum in rebus ad fidem Antiquitatis delineandis –dummodo *historiam* vere redolet nec tantum *anteacta retrospiciat*–, ut cum veterum doctrina, quasi ponderibus examinatis, temperentur rerum æstimationes et adiuncta, quæ artiore vinculo civium societati hominumque cultui, qui nunc sunt, adhærent.

Intentissime erit autem incumbendum in ea, quæ ex investigatione Iuris canonici a doctis viris nunc peracta identidem progrediuntur, cum eiusmodi indagations nostræ in *Instituto* etiamnunc velut fastigium sine controversia attingant. Ob id ipsum ex universo olim discipulorum studio optima quæque delibare oportebit cum ut participes recentiorum investigationum fiamus, tum maxime ut novos indagatorum auctorumque greges foveamus et incitemus. Professoribus quoque iunioribus, qui apud *Institutum* docent, in *Commentario* locus erit accommodatissimus ut Scientiarum velut in *forum* descendentes perinde participes severæ concertationis academicæ fiant atque eius emolumentum consequantur et fructum percipiant.

Quibus adice, quod *Commentarii* ope complures homines, quantumne doctores suis inceptis et cogitatis doctrinam rerumque contemplationem auxerint legentes, licet ad *Institutum* non pertineant, tamen rerum, quæ in illo agantur participes fient, ne professores in concluso maneant, sed extra fines *Academiæ* pedem proferentes novo lumine eruditionem iugiter excolendam suppeditent eorum, qui in negotiis et exercitio Iuris *Ecclesiæ* versantur.

Moderatores